

## PRAEFATIO.

dire constituerant. Quapropter rogatu Auditorum ipsemet breuissimam huius doctrinae delineationem in chartas coniectam cum Auditoribus communicabam, atque ad ductum huius delineationis haecenus per octodecim et quod excurrit annos naturalem illam iurisprudentiam edocui. Sed ut fieri solet, cum toties totiesque ipsa delineatio describeretur, et haud raro in manus imperitorum librariorum incideret, factum est, ut cum quaedam exemplaria in manus inciderent, egomet sententias in iis ipsis deprehenderem, quae et nunquam mihi in mentem venerant, et quas ne somnians quidem habueram. Putabam, facile fieri posse, ut et confunderentur alia legentes, alia audientes auditores, et demum mihi tribuerentur, quae vitio describentium deprauata erant. Nulla ergo alia via putabam haecce euitare posse incommoda, quam ne in insignem amplius veniret deformitatem haecce delineatio,

tio,